

tione cometæ consentiunt, cum potius hebdomodum inter istos dissidium sit. Et si falluntur in his quæ accipimus oculis, quantum erit in animi coniecturis? Cornelio Gemmæ primum apparuit Cometa die 14. Nouembris, durauit ad 18 Ianuarij. diebus nempe sexaginta quatuor, Pretorio. 8. Nouembris uisus durat diebus sexaginta duobus, Cunrado. 8. die Nouembris apparuit: diuturnitatis oblitus est, tantum ait durasse usque ad Ianuarium, durauit Cometa illi nostro amico diebus quinquaginta sex. Venetis uisum extitit mense Nouembris duratio usque ad septuagesimum diem. dicit 12 die Nouembris uisum, extinctum uerè phasma 28 Decembri, durauit igitur ipsi diebus quadraginta sex. Fabricio apparuit 10 die Nouembris, durauit ad sedecimam Decembris, cursus totus dierum 42. Scripserunt de Cometa Germanicè Valentinus Nolthius, R. P. Philomathesius, & Samuel Mullerus. Primus ait, durasse Cometæ incendiū dies 27. Secundus 60. tertius 90. quartus autem 67. Quintus Georgius 15. tantum dies obseruat. Nimis magna, nimis grauis varietas ab 8. die ad 9. ad 10. à 12. ad 14. & quantum interest inter numerum. 46. dierum & 56. inter numerū 42. & 64. uel 70 dierum? Et illud est reprehensione dignissimum, fuisse non multos ex his uiris qui ante Cometæ exitum scripserunt, & scripta diuulgarunt. Ea est gloriæ atque honoris libido & scripturiendi anceps cupiditas. Mitto dum splenderet Cometa, non semel, per 10. dies nubilum aerem fuisse. Quis tunc potuit monstrum uiderè? Quid ue tam longo spatio factum sit in cœlo, quis nostrum nouit? Quare meritò dubitamus, ne, cum putant esse ortum cometam, non tū nascatur sed nostris oculis occurrat, in ipsa serenitate se cœlo aperiente. Ego quidem puto, uti Cometa paulatim decrescit (uidemus autē hoc quia semper aduertimus) & ita sensim cōsumitur, ita quoque gradatim eius lucem existere, atque intendi, ut antequam lumen aduertant, per multos dies Cometa non uisus extet. Id autem si fiat (ut probabile est) quanta est illorum

*Inpedimē-
tum obser-
uandi Co-
metam.*

*Comete
creatio, or-
tus, emer-
sus.*